

QK. 284.

v. Bendeleben

Za
1874

CHRISTIANI


PODENSTEINII

Schnebergensis

OCELLI,

Casto Amori & Sanctæ Iugæ
dicati.

a Bendeleben.



EPIGRAMMA.

Et Venus & Charites, Trias & quadrata sororum
Basiolis gaudent ora animata tuis.
Cœcatisq; prius pharetratus pufio ocellis
Lyncei ouat nactus luminis artificem.
Perge Podensteini Diuûm Decus addere OCELLIS,
Quod neq; Lysippus Praxitele. sive potest.
Spumigenâ sic te cum Matre Cupido fouebit,
Et Genium inuidiæ nulla ruina premet.

*Matthaus Meldnerus Stolpensis, Iudi VVitzle-
bici ad Onestrum Rector.*

LIPSIÆ

Excudebat Abraham Lamberg.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)





Virtutum claro splendore, & Ge-
neris antiquitate viro nobiliss.

GEORGIO A BENDELEBEN
IN CANNAVVURF,

Secundùm Sponso.

ET

Nobiliss. & pudicitiae laude florenti virgini
MARTHÆ, Nobiliss. & conspicui Viri
TIMOTHEI A NEVSTEDT
Filiae Sponsæ,

Hæc Ocellorum carmina

Christianus Podenstein

Do Dico.

Carmen I.

E Tenebris tandem Auroram Matuta reducit,
Expanditq; poli per tabulata sinus.
Roranti prouectus equo quam Lucifer anteit,
Atq; pruinisum saltitat ante torum.
Purpurei assiliunt roseo sub sidere fluctus,
Et reducem gaudent non procul esse diem.
At faculae astrorum & Luna euanescere tentat,
Dum non fraterno lumen ab igne trahit.
Tum demum properans radijs alludere Phœbus,
Eoam occiduo promit ab orbe diem.
Ac sese insinuans Auroram amplectitur vlnis,
Sicq; noua terras luce opibusq; beat.
Tu quoq; vita tui Sponsi, Sponsa, exere vultum,
Atq; venustatis mundiciaeq; Decus.
Ecce puellarum cedunt tibi sidera; puro
Lucifer en faculas igne coruscat Amor.
Applauduntq; tibi quoscunq; Volentia iunxit,
Quorum cor fictum est de meliore luto.

A 2

Eia

Eia age Spōsus adest, tua lux, de Amathusidis axe,
Et micat, & penitus te irradiare, parat.
Hā quæcunq; negat socialem admittere Phœbum,
Hæc luce in media cespitat in tenebris.

Carmen II.

PArue puer, risus & amans ioca nuda Cupido,
Pectora qui iungis non metuente iugo.
Vnde facem incendis? subigit quis cote sagittas?
Nā mentes hominū vulnere & igne domas.
Sic ego: sic Veneris: radiantia sidera gestant
Nymphae, ex quīs fibrant fulgidulos radios.
Parui essent nostri & paruarum virium amores,
Si non ex oculis possem animare faces.
At mea tela acuit lacrimæ & periuria amanti,
Atq; voluptatis nequitiaq; mora.
Rursus ego: & quis nā tantam vim credat inesse
Telis, cum faciant vulnera cæca, tuis?
Ille refert: tantam quis vim quoq; credat aquarū,
In viridi ligno, flamma nisi ipsa probet.

Fru=

*Frustra es Amor; simulac caudex cōbustus ab igne
E cinere haud lacrymæ gutta nec ulla cadūt (est
At tu quem tangis, postquam cōsumtus amore est,
Ex corde atq; oculis humor utring; fluit.*

Carmen III.

E Sse quid hoc dicam? Sponsus nunc æstuat intus;
Nunc friget gelidis cos velut in niuibus.
Nimirum, Sponsæ quoties sese obtulit ignis,
Feruet, ut in stipulas addita flamma furit.
At quoties Sponsæ ex oculis se dimouet ignis,
Aura cadit genij, frigus & ossa subit.
Astra alij expectent Capricorni hiemalia, & astra
Erigones alij, sol ubi feruet equis;
Sponsa erit in tropico quoq; sidere Sirius ardens,
Tempore at Erigones Spōso erit acris hiems.

Carmen IV.

P Erpetua alituum fama & Diis æmulus ales,
Qui sibi fit genitor, quiq; sibi seboles,

A 3 Confe=

Confectus senio post mille volumina tandem
Alarum linquit remigio Æthiopes,
Atq; ultra Gangem Nabathæaq; regna recedēs,
Inuia regna alijs & sola sola petit.
Aggereum ponens tumulum, quem flore coronat,
Et myrrha & casia pauperat Arabiam.
Mox contra quatiens pennas Hyperionis ortum,
Sponte sui incendit funeris ipse rogam.
Atq; ita se reparat, seq; ipse reseminat ales,
Natalesq; suos suscitatur è cinere.
Sic virgo est nullas veneres nullos Hymenæos,
Et nullum casto corpore passa virum.
Illa videns vitæ tandem marcescere florem,
Et formam fati corruere arbitrio,
Spe, desiderio, dulciq; agitata calore,
In gremio Sponsi construit ipsa rogam.
Virtutumq; locum decorat benèolentibus herbis,
Et myrrham famæ fert, casia q; precum.
Hinc ubi corripuere piæ præcordia flammæ,
In thalamo exurit virginitatis hymen.

Scilicet

Scilicet ut quod erat Sponsi in complexibus arctis
Viuere desistat, viuere & incipiat;
Infans materna si quando resurgit ab aluo,
Cui rursus curæ est virginitatis hymen,
Aut qui post cineres atq; ultima fata parentum
Et genus & laudes amplificare potest.

Carmen V.

Affer opem mea vita mihi, succurre labori,
Dum mecum sine me te sine, Sponsa, vagor.
Sum Leander ego confixus amore medullas
Per mare Cyprigenæ per tenebrasq; nato.
Occurruntq; mihi centum volucris agmine curæ,
Et nox tristitiæ cincta satellitio.
Tu verò ex geminis si mittas lumen ocellis,
Attollasq; tui cordis ab igne facem,
Erranti Cynosura animæ, sidusq; quod Index
Fortunæ scopulos relinquere monstrat, eris.
Fgnibus hinc ignes, & amorem in amoribus addā,
Te, mea lux, præsens visere fas ubi erit.

Produ=

Producamq³ moras, Heroës nectare pleni,
Ceu Iouis ad mensam tempora non numerant.

Carmen VI.

A Ut oculis pascāt animū, aut dent basia Nym=
In thalamo cupiunt quæ sociare latus. (phæ,
Si præbent oculos, est molleis flamma medullas,
Et vultu ardorem feruidioris rapis.
Basia si præbent, frigus descendit in ossa,
Et vultu Venerem frigidioris rapis.
At miserum est Veneris solo torquerier æstu,
Et miserum est Veneris ferre in amore gelu.
Quin agite; innuptæ, coniungite basia ocellis,
Ut motu gemino conduplicetur amor.
Ut quando ex oculis in cor descenderit ignis,
Labrorum optatis roribus immadeat.
Frigida sic calidis certabunt, humida siccis,
Et nihil est Cypris quod magis ipsa probat.

Carmen

Carmen VII.

*V*er, æstas, autumnus, hyems, sacra tēpora mon-
Quo vitæ ratio sit peragenda modo. (strant
It ver, & Venus & Zephyrus vestigia propter,
Flora quibus mater præparat ante vias.
Prouenit hinc æstas, & Ethesia flabra Aquilonū
Spirant, & comes est puluerulenta Ceres.
Hinc Autumnus adest, surgit simul Euius Euan,
Qui iam matura fruge coronat humum.
Tandem Bruma niues adfert, consumere fruges
Quæ iubet, & calidum confluere ante focum.
Sic iuuenis vitæ primæuo in flore virescit,
Deliciasq̄ inter nequitiasq̄ viget.
Inde vir uxorem genitaleis per Veneris res
Fœcundans messem sentit habere bonam.
Hinc pater, assuescens sobolem lallare minutum,
Ædificare casas aut equitare docet.
Famq̄ senex comparcit opes, & in ocia migrans
Uxorem curat progeniemq̄ fouet.
Felix qui iuuenis vere est, æstate maritus,
Ut patrem autumnus cernat, hyemsq̄ senem.

Carmen IIX.

Effe quid hoc dicam, Clytie cur floris honores
Obnubit cum Sol æquore condit equos?
At simulac terris radiatum insigne reportat,
E calyce auratum tollit & illa caput.
Scilicet agnoscit veteris vestigia flammæ,
Et nunc herba etiam sentit amoris onus.
Nam velut ex antro cerui trahit halitus anguë,
Aut velut obiectas colligit Iris aquas;
Sic amor alliciens oculo magnetico ab imis
In cor carum animas extrahit, unguiculis.
Prosperitasq; iubet, cogitq; Lubentia ut unum
Velle & Nolle unum corcula bina ligent.

Carmen IX.

Vnstruades Nymphæ, per amœna rosaria Phœbi
Quæ VVIT Zlebiacas stare iubetis aquas,
Fnterdumq; iuuat Sophiam Musasq; ciere,
Et docta argutum diuidere aure melos.
Dicite, Carpathius, quæ sunt penes æquora, Pro=
In leges qui scit se variare nouas? (teus,
Nym=

*Nympha refert: ecquid Vatem mirabere nostrū,
Immutari homines quando in amore vides.
Ut non cognoscas: sic Solis fūia claudit
Semiuirōsq; sues, semibouesq; canes.
Rursus ego: hā verū est, magna illa potētia Amo-
Affectus domito nescit habere loco. (ris,
Omnia sed Proteus sese in miracula vertens,
Flamma subiecto quī valet esse mare?
Subridet Nympha: & quænam te cura molestat,
Sic rudis es dubij miles amoris, ait?
Dic mihi, si Spōsum in Sponsam Venus vrit ama-
Æstibus in medijs frigidus unde tremor? (tam,*

Carmen X.

*A T quid captū oculis depingit pictor Amorem,
Cum factis aquilæ sese acie esse probet?
Namq; ita constanti bene spicula dirigit arcu,
Lascium quoties vult violare iecur,
Ut dubites quid non nobis in amore timendum,
Si cæcus mittit certa ita tela puer.*

B 2

Ni=

Nimirum nullos oculos dat pictor Amori,
Sat quoniam vario nemo in amore videt.
Aut quia fas, si virgo suis te cepit ocellis,
In formæ cæcum lumen habere bonis.
Aut quoniam erga alios coniux sit cæcus amores,
Atq; domi uxori si videt ipse, sat est.

Carmen XI.

Vir. **E**Xuo tristitiam, atq; nouã vita induo vitam,
Sic Venus & Veneris me puer esse iubent.
Puel. Ergo iterum Veneris properas te includere septo,
Quiq; diu latuit fit rediuius amor?
Vir. Sic est: heu tacito vivit sub pectore flamma,
Quoq; minus propero, tam magis urget Amor.
Puel. Ast amor hic brevis est, & fors an acerba volu-
Quoq; die incipiet, desinet esse die. (ptas,
Vir. Nescis quid possit Chariteia triga Dearum,
In quarum gremium me dico, teq; dico.
Puel. Erras: namq; mea est tædas exosa iugales
Virginitas sperno connubiale iugum.

Ne

Ne tales mihi finge metus: per sidera iuro,
Perq̄ hoc dulce caput, tu mea semper eris.

Vir.

Quin cum sis viduus, viduam tibi iungis? & illa
Assueta ingenium scit bene ferre viri.

Puel.

Testa recens servat quem primo assumsit odorem.
At nymphae ingenium flectitur obsequio.

Vir.

Dic quid coniugiū est, nisi perpetuū mare amarū,
Quod grauter tollunt hinc lacrimae, inde dolor.

Puel.

Nempe rosam nescis vallatam carpere spinis,
Nec fronti parcens scis spoliare fauos.

Vir.

Quid si dulcis amaricies, nos iungere vellet,
Et crux ad nostrum staret iniqua torum?

Puel.

Tunc thalamus fieret schola religionis, honesti
Monstrator, voti fax, & origo precum.

Vir.

Vieta manus dedo: sed quo me nomine dices,
Prolificus quando nos sociabit Amor?

Puel.

Es mihi consilium dubijs, solamen acerbis,
Auxilium laetis, & medicina malis.

Vir.

Ergo te comitem casus complector in omnes,
Nemo potest nos disiungere; Morta potest.

Puel.

C 3

Carmen



Carmen XII.

F Vgerat irata nuper de matre Cupido,
Dumq̄ sibi tutum quæritat hospicium,
Dulcia flexanimæ miratus membra puellæ,
Furanimam linguam, mellifluumq̄ melos,
Cor subit occultè, tacitisq̄ recessibus errans,
In tuta tandem sede receptus habet.
Quid mirare igitur varias in virgine dotes,
In quam diuinus se penetrauit Amor?
Quid mirare igitur si Sponsus deperit illam
Ex cuius vultu ridet amabilitas?
Quam propter Sponsi Pendet iam Vita, Nouūq̄
Quem præmonstrat Amor, gestit adire Locū.
Ergo velut laurus sub matris pullulat umbra,
Et crescens gaudet perpetuare comas,
Sic hoc Coniugium iucunda prole virescens
Antiquum poterit nobilitare genus.
Tegmine sub cuius virtus se tollit in altum,
Et dabit ut titulis sit bene fulta domus.
Hactenus

*Hactenus Vnstruades : resonatq̄ cauernicola Echo.
Fallor an optatus tinnit in aure sonus?*

ᏆᏆᏆ ᏆᏆ ᏆᏆᏆ.

Nuptiæ celebrab. in arce VVitzle/
biaca ad Onestrū VVendelstein.
V. non. Mart. Anno 1595.




№ 1874 PK

X 2206887

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.





QK. 284.

v. Bendeleben

Za
1874


CHRISTIANI
PODENSTEINII

Schnebergensis

OCELLI,

Casto Amori & Sanctæ Iugæ
dicati.

a Bendeleben.



EPIGRAMMA.

Et Venus & Charites, Trias & quadrata sororum
Basiolis gaudent ora animata tuis.
Cœcatisq; prius pharetratus pugio ocellis
Lyncei ouat nactus luminis artificem.
Perge Podensteini Diuim Decus addere OCELLIS,
Quod neq; Lysippus Praxitelesue potest.
Spumigenâ sic te cum Matre Cupido fouebit,
Et Genium inuidiæ nulla ruina premet.

*Matthæus Meldnerus Stolpensis, Iudi VVitzle-
bici ad Onestrum Rector.*

L I P S I Æ

Excudebat Abraham Lamberg.



BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)